



Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Caput I. De Scientia morum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

CONTEMPLATIO XV.

De Fine, ob quem creatus est Mundus.

MUndum hætenus univèrsū, atque etiā Auctorem illius in contemplationibus nostris consideravimus: quid jam restat, nisi ut in illius amorem & laudem assurgamus, qui omnia propter semetipsum operatus est Deus, ultimus nobis finis, & summa Beatitudo nostra. Illuc, illuc tendere debent omnes conatus nostri: neque Philosophus, aut verè sapiens reputandus est ullus, nisi hunc sibi præfigat, ac in omnibus respiciat finem. Hic igitur noster quoque scopus erit, ut hoc modo ex contemplationibus nostris optandum omnibus referamus fructum, & inde debitam Deo reddamus gloriam.

CAPUT I.

De Scientia morum.

Præcipuas humanæ naturæ potentias intellectum esse & voluntatem, dubitabit nullus, nisi hominem brutis conditione parem existimet: imò tanta est harum potentiarum dignitas, ut homo per eas non modò à reliquis distinguatur animantibus, sed ita distinctus evehatur altius, altiusque evectus non modò ipsis spiriùibus beatis, sed immortalī Deo reddatur quodammodo similis, similisque capax felicitatis. Porro uti Logica intellectum ad veritatem, ita Ethica voluntatem dirigit ad honestatem. Et hæc est illa Philosophiæ pars, quæ præcipuè commendavit illa antiquitatis prodigia, Aristoteles intelligo, Cicerones, Senecas, Epictetos &c. qui solo rationis lumine in hac scientia naturali eos progressus fecerunt, quos in eorum libris serior aras miretur. Est tamen hæc Philosophiæ pars plurimùm à Socrate, uberiùs etiā à Platone & Aristotele, aliisque antiquis Philosophis exculta sit, negari tamen non potest, quin apud ipsos manca fuerit in multis, ac proinde dubium non est, quin recta vitæ instituendæ ratio à Sapientia Christiana repetenda sit, cujus est, & secretiores animi morbos detegere, & detectos curare.

Ethica igitur scientia est practica humanorum actuum directiva, qui proinde sunt ejus objectum materiale: formale verò est eorum rectitudo, seu honestas ac bonitas moralis. Actionum dico, non hominis, quæ etiā à dormiente fiunt; sed humanarum, quæ nempe reguntur ratione, & ex libera sequuntur voluntate. Scientia est, quia conclusiones suas deducit ex principiis evidentibus, qualia sunt, Deum esse colendum, homini vivendum secundum rationem, reddendum unicuique quod suum est, virtutem amandam, fugiendum vitium &c. Nomen quod attinet, originem habet à voce Græca *ἠθική* quæ mores propriè significat, ideòque hæc Philosophiæ pars vocatur Ethica, quòd in dirigendis, formandisque hominum moribus sit tota.

Ethica distribuitur in partes omnino tres, juxta triplicem statum, in quo potest homo considerari. Vel enim sui unius curam gerit, & Ethica, quæ eum sic spectatum dirigit, Monastica dicta est. Vel alicui familiæ præest, ejus-

ejusque curam gerit; & quæ eum sic consideratum informat Ethica vocatur Oeconomica. Vel tandem spectatur ut in republica, aut principem, vel alium locum tenens, & eum quæ instruit Politica nuncupatur. Monastica mores informat hominis in se considerati: Oeconomica domesticam disciplinam tradit, & quæ mariti in conjugem, parentum in natos, domini in servos mutua sint officia præscribit: Politica seu civilis dicta optimam rempublicam instituit, atque hominem dirigit, ut ea, quæ ad reipublicæ totius statum optimum, & commune bonum spectant, probè exequatur.

CAPUT II.

De Bono & malo in genere.

Veteres dixere, bonum esse id, quod omnia appetunt, quia nihil appetitur, nisi habeat rationem, aut speciem boni. Bonum igitur est objectum appetitus: appetitus autem est propensio in id, quod conveniens videtur: ipsa actio aut natus in bonum, ut amor sanitatis, dicitur appetitus elicitus; ipsa vis ingenta, quæ hunc actum elicit, dicitur appetitus innatus, qui triplex est, naturalis, sensitivus, & rationalis.

Bonum aliud est per essentiam, quo in sensu, uti Christus dixit, *Nemo bonus, nisi solus Deus*. Aliud per participationem, dividiturque in bona corporis, ut sanitas, robor: in bona animi, ut scientia, virtus: & in bona fortunæ, ut divitiæ. Rursus vel prosequimur bonum, quia honestum est; vel quia jucundum; vel quia utile: unde triplex alia boni divisio in honestum, jucundum, & utile; quanquam triplex hoc boni genus possit simul reperiri: imò Cicero multis probat, nullum bonum esse verè utile, si non sit simul honestum; quod enim turpe est, plus habet in se mali, quam commodi: quod quidem argumentum plus habet ponderis in eo, qui Fidem proficitur Christianam.

Jam uti bonum consistit in perfectione & convenientia, sic malum in defectu, & privatione debitæ perfectionis: oppositorum enim oppositæ sunt rationes; & ut bonum ex integra causa, sic malum ex quolibet defectu oritur. *Nemo querat*, ait S. Aug. lib. 12. de Civ. Dei, *Causam efficientem male voluntatis, non enim est efficiens, sed deficiens*. Itaque ut malum naturale nihil est, quam defectus perfectionis naturalis: & malum artificiale privatio est rectitudinis artificiosæ: ita malum morale est defectus aut absentia rectitudinis moralis, aut bonitatis debitæ, quæ consistit in conformitate cum regulis morum, postea explicandis.

Bonum autem, inquit S. Thomas, principaliter est finis; nam ea, quæ sunt ad finem non dicuntur bona, nisi in ordine ad finem; finis verò duplex est, unus primarius & ultimus, qui, ut ostendemus, solus Deus est; alius proximus, & est bonum quasi secundarium, quod si ordinari possit ad principale bonum, verè est bonum; si à finali bono abducatur, non verum, sed apparens bonum est.